QUÆSTIO VI.

Zelus ac virtus Epiſcopi Epheſini, dum tentat, & explorat ſuorum mores, & impios, ac mendaces non ſuſtinet.

43. Hiſtoria.
HIſtoria hæc eſt, ut bene notat Viegas in præſenti ſect. 4. Sub hoc tempore ſurrexerunt Epheſ. Pſeudo-Apoſtoli, quos Joannes ſua 1. Canonica c. 2. & 4. Antichriſtos appellat, in quibus erant Ebion, Cerinthus, & Valentinus; quorum videtur meminiſſe Paulus 2. Cor. 11. num. 13. dum ait: *Ejuſmodi Pſeudo-Apoſtoli, operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.* Hi autem tum doctrinæ tum ſanctitatis ſimulatione ſeſe malitiosè inſinuabant, & Eccleſiæ tum doctrinam, tum ſanctitatem furtim, ſub ſpecioſo Apoſtolorum nomine deſtruere moliebantur: hos ergo dicitur, quod Epheſi Epiſcopus tantaverit, & tam doctrina, quàm vita mendaces invenerit.

1. Joan 2. & 4.

2. Cor. 11.

44. Difficultas quæſtionis.
Duo quaſi contraria de hoc uno, & eodem Epiſcopo Epheſino videntur hic proferri: nam idem ipſe ſimul de patientia, ac impatientia commendatur. De patientia, cum dicitur hic verſ. 3. *Patientiam habes, & ſuſtinuiſti.* De impatientia verò, cum aſſeritur: *Non potes ſuſtinere malos.* Ecce ſimul patientia, & impatientia in hoc uno, & eodem Epiſcopo.

45. Joach.
Rectè quæſtionem ſolvit Joachimus Abbas: *Pſeudo-Apoſtolis reſiſtentes fideles, qui primi ex gentibus crediderunt, & patientes, & impatientes utiliter comprobantur, patientes propter ſcandala, quæ propter hoc paſſi ſunt: impatientes, quia quos mendaces eſſe probaverant, ſuſtinere non poterant.* Maximè laudanda eſt patientia in hoc Epiſcopo Epheſino, in multis laboribus, ac adverſitatibus, ſuſtinendis pro defenſione Eccleſiæ Dei, ac doctrina Evangelica, ut dixi ſuperiori quæſt. & dicam etiam ſequenti: Similiter, & maxime laudanda eſt ejus impatientia, quia iniquos, ac Pſeudo-Apoſtolos non potuit ſuſtinere; ſic & Paulus impium fornicatorem juſſit ſeparari, & ejici à fidelium cœtu, 1. Cor. 5. num. 5. *Tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis.*

Prælati patientes in propriis injuriis, impatientes in ſuorum damno.

46. *Prælatus exploret, & examinet ſuorum mores.*
Et Epiſcopus Epheſinus prudentiſſimè ſe habuit in hoc, nam antequam eos non poſſet ſuſtinere, priùs dicitur: *Tentaſti eos, & inveniſti eos mendaces*: hoc eſt, explorasti, inveſtigaſti eorum doctrinam ac mores, & inveniſti eorum falſitatem. Prælatus, antequam adverſus aliquem procedat, debet exactiſſimè rem inveſtigare, & explorare.

47. Jerem. 6.
Quod probat D. Greg. 2. p. Paſt. c. 10. ex Jerem. 6 n. 17. cui ait Deus: *Probatorem dedi te in populo meo robuſtum: & ſcies, & probabis viam eorum. Omnes iſti Principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs & ferrum: univerſi corrupti ſunt. Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflavit conflator: malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ. Argentum reprobum vocate eos; quia Dominus projecit illos.* Ubi nos habemus: *Probatorem dedi te*, Syrus vertit, *ſcrutatorem.* Arabicus; *Feci te, ut ſcruteris & conſideres opera populi mei.* Vatabl. *Excoctorem dedi te.* Et ubi nos habemus, *robuſtum*: Aquila vertit: *munitum.* Symmachus, & Septuaginta: *Clauſum, & circundatum.* Ac ſi dicat Deus: dedi te, ô Propheta, probatorem, ac ſcrutatorem, ac examinatorem populi, ac morum ejus, tanquam alicujus metalli: & ſic dedi te, tanta conſtantia ac fortitudine, ut ait D. Hieron. inſtar firmiſſimæ rupis, ac propugnaculi, ut nullo affectu, ac reſpectu movearis; & dum inquireres, ac inveſtigares mores eorum, qui ſe dicebant aurum & argentum, *inveniſti eos, declinantes, ambulantes fraudulenter, æs & ferrum.* Et propterea ſequitur: *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos*, per ſuum miniſtrum Prophetam.

Syrus. Arabic. Varabl. Aquila. Symmach.

D. Hieron.

In examine inveniuntur multi iniqui.

48. Jerem. 6.
Pergit Propheta in ſua comparatione màximè exaggerans malitiam populi: *Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum.* Significatur malitia illius populi, quæ nulla ratione, ac medicamine purgari potuit, ut indicat illud: *Malitiæ, eorum non ſunt conſumptæ.* Unde D. Thomas ad citatum locum ſic ait: *Argentum admiſtum plumbo in fornace ponitur; & ſufflante argentario, fœces conſumuntur, argentum purgatur, & plumbum minuitur. Iſti autem poſiti in fornace tribulationis, conſumptis malis, quaſi plumbo, non ſunt correcti: unde ſubditur, fruſtra conflavit conflator.* Pro hujus loci intelligentia ſupponendum eſt: cum metalla ſunt adulterata alienæ materiæ permiſtione, ſolere eis plumbum admiſceri, ut notant Nicetas in orat. 44. Nazianz. & B. Cyrill in Zach. 4. n. 10. Theodoret. hîc, & alii, ut in conflatione fæces ſecernantur: plumbum enim metallum purgat, fæces ab eo ſeparans; & ipſum etiam plumbum in conflatorio minuitur, & conſumitur. Unde maximè arguitur malitia hominum populi illius, qui plumbo deteriores inventi ſunt: quia cum ſcirent quod eorum vita ſcrutabatur, & examinabatur, & fortè in aliquibus malitia erat punita, & emendata: ipſi verò noluerunt reſipiſcere, ſed in ſua nequitia obſtinati ſunt, nilque ab ea diminuerunt: *Iſti autem poſiti in fornace tribulationis, conſumptis malis, quaſi plumbo, non ſunt correcti: unde ſubditur, fruſtra conflavit conflator.*

D. Thom.

Nicetas. D. Cyrill. Theod.

Iniqui obdurati in ſua malitia.

49. Richard.
Cùm ergo Epiſcopus Epheſinus Pſeudo-Apoſtolorum mores, ac doctrinam examinaſſet, eoſque mendaces in omnibus inveniſſet, *non potuit ſuſtinere malos.* Rectè Richard. de ſancto Victore: *Sic Zelus domus Dei*, ait, *nos comedat, & in malis pravitatem conſumat. Sic & in nobiſmetipſis ſtudeamus, virtutes exercere: & in aliis curemus vitia debellare: debemus itaque, ſi perfecti eſſe volumus, impugnare ea, quæ contra Deum eſſe cognoſcimus.* Meritò laudatur Epiſcopus Epheſinus, quod malos ſuſtinere non potuit, quod eſt magnæ virtutis argumentum: neque enim bonus perfectè eſt ille, qui malos in ſua malitia æquanimiter ſuſtinet: quiſquis enim malos in ſua malitia patienter ſuſtinet, ipſe malitiæ eorum conſenſum præbet: & ſic evidenter oſtenditur, quod iſte à culmine perfectionis multum diſtat.

Ex Zelo honoris Dei, non ſuſtinet malos Epiſcopus.

50. Meritò ergo zelus domus Dei ſic comederat hunc Epiſcopum, ut prævaricatores ipſius domus Dei non ſuſtineret, ne cum ipſis domus Dei periclitaretur, oveſque ejus ex eorum conſortio aliquod malum contagioſum paterentur. Poſtquam Parens Elias obtulit illud magnum ſacrificium Deo in monte Carmelo, ſuper quod cecidit ignis de Cœlo: tunc præclariſſimus Dei zelator, cujus verbum tanquam favilla ardebat protulit ſententiam contra Prophetas Baal, qui quadringenti & quinquaginta viri erant, dicens populo: *Apprehendite Prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis: quos cùm apprehendiſſent, duxit eos Elias ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi* 3. Reg 18. n. 40 Cur omnes occiduntur gladio, & ne uni quidem indulgentia conceditur, ne vivus ſuperſit; Sic Elias zelo Dei æſtuabat, ac radicitus volebat malum eradicare, ut ne uni quidem vita daretur, ne malum ſerpat, & ipſe alios valeat inficere; & ne ex ipſo uno malum in alios transfundatur. D. Baſilius homil. 10. de ira *Juſtè* ait, *ac ſapienti indignatione, in totius Iſraëlis, utilitatem, ut omnes morte afficerentur, affecit.*

3. Reg. 18.

Ne malum ſerpat, radicitùs evellendum.

D. Baſil.

51. *Prælatus ſui damna ſuſtinet; non verò ſui gregis.*
Valdè præclarus hic zelus Epiſcopi Epheſini, patiens, & impatiens, ut ſuprà in hac Quæſtione notavi ex Joachimo Abbate; patiens ad ſufferendas injurias, & calumnias contra ſe illatas; impatiens, ut non poſſet ſuſtinere mala gregis ſui; & ideo, qui eum conabantur mendaciis demoliri, ejicit, plus dolens ſuorum, quàm ſui damna; & qui æquanimiter ſui injuria patitur, minime ſuorum calamitates ſuſtinet.

52. Matth. 27.
Cum meus Jeſus penderet in Cruce, ait D. Matth 27. num. 47. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamavit Ieſus voce magna, dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Qui inter verbera, inter illuſiones, inter clavorum Crucis ac ſpinarum tormenta, tanquam agnus tacuit; quænam res tantum potuit extorquere clamorem? Tunc præmiſſæ fuerunt tenebræ, quæ totam terram Judæam operiebant, ſub quibus totus populus Judæorum interne, & externè involvebatur, ut in errorum tenebris detentus remaneret: inde Jeſus, qui pro ſuis doloribus tam profundè tacuit, pro ſuorum objectis malis, ſic cœpit angi, & affligi: uſque modò tacebat Ieſus; nunc verò gemitus, clamor, ac querelæ in ipſo vero Iudæorum, ac totius orbis Rege exhibentur, quando ſubditi ſub tenebris, ac cæcitate primi objiciebant. Origenes homil. 35. in Matth. *Quandiu fuit*, ait, *ſolis lumen etiam tanta, & talia ſuſtinens, non dicebat: quare me dereliquiſti? Poſtquam autem vidit, ſuper omnem terram Judæam uſque ad horam nonam tenebras factas, dixit magna voce ſua: quare dereliquiſti?*

Chriſtus in ſuis injuriis tacet, pro ſuorum damnis clamat.

Origen.

QUÆSTIO VII.

Laudatur patientia Epiſcopi Epheſini, quod ſuſtinuit, & non defecit, propter nomen Domini?

DIcitur de Epiſcopo Epheſino: *Patientiam habes, & ſuſtinuiſti, propter nomen meum, & non defeciſti.* Tria hîc dicuntur de Epiſcopo Epheſino; quod habens patientiam, ſuſtinuit; & quod non defecit: & hujus cauſa aſſignatur, propter nomen meum. 53.

Bis patientia hujus Epiſcopi commendatur. 54.
Nam verſ. 2. dicitur: *Scio opera tua, laborem ac patientiam tuam.* Et iterum de eo hîc aſſeritur: *Patientiam habes & ſuſtinuiſti.* Ac ſi hic Epiſcopus totus eſſet circumdatus patientia in ſuis injuriis, ac laboribus; ad patientiamque tanquam ad tutiſſimum azylum confugeret, ut monet D. Nilus in parænesi; *In omnibus, ait, in quibus injuria afficieris, ad patientiam confugito, & ſuper injuriantes nocumentum devolvetur.*

Bis extollitur hujus Epiſcopi patientia.

D. Nilus.

Deinde multiplicatis vicibus hujus Epiſcopi patientia celebratur, ac extollitur: Epiſcopus enim iſte totus incumbebat compoſitioni morum ſui gregis, ac reformationi ſuæ Eccleſiæ, ita ut malos non ſuſtineret, nec permitteret, ſed eos radicitùs evellere conabatur. Meritò ergo ejus patientia tanta repetitione laudatur; qui enim reformationi invigilat, de eaque agit, non una ſed multa patientia indiget ad ſufferendas adverſitates contra ſe exortas, & excitatas. Ansbertus hîc. *Patientia eſt, quæ cunctas cuſtodit virtutes, cunctoſque tolerat labores.* Videt om. 2. cap. 11. quæſt. 1. num. 13. 55.

Qui de reformatione agit, multa patientia indiget.

Ansbert.

Perpende connexionem textus; dicitur enim: *Tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe & non ſunt: & inveniſti eos mendaces, & patientiam habes.* Quia abſque dubio, cùm eos arguiſſet, ac reprehendiſſet ſuæ iniquæ doctrinæ, ac turpiſſimi mendacii; illi Pſeudo-Apoſtoli nequaquam ejus correctionem ferre potuernnt, & inde toto immanitatis impetu eum perſecuti ſunt, & ſic ſolet fieri, cùm obdurati in ſuis malis objurgantur, eorum infeſtationi, ac perſecutioni cum multa patientia præparandus eſt animus, ut hîc notat Richardus de S. Victore: *Dum quilibet electus*, ait, *reprobis viriliter reſiſtere nititur, ab ipſis reprobis perſecutionem patitur.* 56.

Cum iniqui reprehenduntur, contra eorum perſecutionem armandum.

Richard.

In hoc autem maximè laudandus Epiſcopus Epheſinus, pro quo audiendus eſt D. Primaſius: *Malos, dicitur, ferre non poſſe, ait, ut cognitos non imitaretur: ad hoc autem toleraſſe, ne deſerens ipſe ab unitatis vinculo reddatur alienus, Ille enim reprobus judicatur, qui propter apertos malos, etiam latentes deſerit bonos.* Meritò multis encomiis extollitur hic Epiſcopus, quia licèt malos ſuſtinere non potuerit: eorum tamen preſſuras, ac adverſitates ſuſtinuit, & non defecit, ut gregem ſuum desereret, nec enim propter malos deſerendi, ac relinquendi ſunt boni. 57.

Propter malos non deſerendi boni.

58. *Prælatus multum longanimis, ut ſuos perducat ad ſalutem* D Greg. Naz.

Quintò. In hoc valdè mirabilis hic Præſul Epheſinus, quod non ſolùm patiens laborum fuerit: ſed etiam multùm longanimis in ſuſtinendis injuriis ſibi factis, ut minimè cum illis labefactari potuerit ab expectandis, ac deducendis peccatoribus ad pœnitentiam; quod optimè nobis proponit D. Gregor. Naz. orat. in laudem Heronis: *Quemadmodum*, ait, *arca illa Noë in diluvio viam diluvii non ſenſit: & rubus ille mirabilis, quem Moyſes in monte conſpexit, ita conflagrabat, ut tamen à flammis exhauriri non poſſet; eodem modo nos quoque nec multitudinis imperitæ vitiis inficiamur: quemadmodum nec adamas percutientium ictibus labefactatur; & pro virili noſtra curemus, ut alii per nos meliores efficiantur.*

59. *Bene proficiat, qui bene incepit.*

Sextò. Hic Epiſcopus non ſolùm habuit patientiam, & ſuſtinuit, ſed non defecit, nec retroceſſit ab incepto, ſed multùm in illo progrediendo profecit; qui enim aliquod bonum opus exorſus eſt, caveat ne reſpiciat retro ad antrum, non enim erit aptus regno Dei: Qui ergo aliquod opus cum laude incepit, cum virtutis palma illud perficiat: Ad veram ſanctitatem ſpectat, non ſolùm bene incipere, ſed & perfectè conſummare. Inde rectè dixit Henricus IV. Romanus Imperator Epiſtola ad S. Othonem Bambergenſem Epiſcopum: *Bona incipere ſine fine ſpecioſi corporis inſtar eſt ſine capite.*

Henric. IV.

60. *Perſeverantia germana patientiæ.*

Septimò. Hic Epiſcopus fortiter perſeveravit, & non defecit in laboribus, ac moleſtiis ſibi illatis à Pſeudo Apoſtolis: ſed unde illi tanta conſtantia? Ex adjuncta nempe patientia. Et ideo ei dicitur: *Patientiam habes, & ſuſtinuiſti, & non defeciſti.* Qui habet patientiam, non deficit in laboribus, ſed conſtans, fortis, ac perſeverans eſt in illis. perſeverantia enim germana ſoror patientiæ eſt, ut teſtatur D Bernard. Epiſtola 29. *Abſque perſeverantia*, ait, *nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur. Vigor virium virtutum conſummatrio eſt: nutrix ad meritum: conſummatrix ad præmium: conſtantiæ filia: amica pacis: amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum: ſanctitatis propugnaculum: ſoror patientiæ.*

D. Bernard

61. Alb. Magn.

Octavò Profunde nota, quod dicitur: *Suſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti*; *ubi* optimè Albertus Magnus ſic ait: *Propter nomen meum effectivè; hoc eſt, quia virtus nominis mei te juvat, nec poſſes aliter ſuſtinere.* Prov. 18. n. 10. *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſum currit juſtus, & exaltabitur.* Multæ perſecutionum, ac diverſitatum tempeſtates exortæ fuerunt contra hunc Epiſcopum Epheſinum, & tamen tanquam mutus fortis, ipſe ſuſtinuit, & non defecit: unde illi tanta virtus; Ab ipſo nomine Domini, quo erat munitus, à quo tanta virtus illi manavit, ut tot ac tanta generosè ſuſtineret.

Proverb. 18. *Virtute nominis Ieſu adverſa ſuſtinentur.*

62. Iſai. 26. Procop. *Ieſus urbs fortitudinis.*

Ait Iſaias 26. numer. 1. *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Salvater, ponetur in ea murus; & antemurale.* Procopius ex Hebræo legit, *Vrbs fortitudinis noſtræ*, Jeſus in hoc ſalutifero nomine firmantur adverſus omnes hoſtiles inſidias; & in hoc ſacratiſſimo nomine nobis ponitur murus, & antemurale contra omnia tela nequiſſimi, ut fortiſſimè contra illa prævaleamus.

63. Philo.

Moyſes eligit Joſuë in ducem populi, qui unus de minoribus ducibus erat; de quo ait Philo lib. 1. de Moyſis vita: *Imperatorem his Ieſum præficiens unum ex minoribus ducibus, ipſe properavit.* Et de hac electione agens Scriptura ait Num. 13. num. 17. *Vocavit Moyſes Oſee filium Nun, Ioſue.* Vocavit eum Joſuë ſive Jeſum cum ipſe ad prælium contra Amalechitas deſignaretur, ut tenent Origen. hom. 11. in Exod. D. Auguſt. ſerm. 93. de Templ. Theodoret. quæſt 34. Oleaſter, quos refert, & ſequitur Seratius lib. 1. Joſue cap. 2. quæſt 6. Sed cur ſapientiſſimus Moyſes, cum eum elegit ex minoribus ducibus, & ad tantum prælium deſtinat; ejus nomen mutat, & Ioſue vocat, cur non retinetur antiquum nomen? Prudentiſſimè quidem Moyſes, ut eum ex minoribus ducibus faceret maximum Imperatorem, ac victorem præſtantiſſimum contra hoſtiles exercitus Regis Amalechitæ, eum ſub umbra nominis Ieſus armavit, ut tanto ſcuto ac protectione munitus, omnium ſupremus dux conſtitueretur; omniumque glorioſus victor, ac triumphator fieret; ubi eſt umbra nominis Ieſus, ibi tutiſſimum umbraculum contra hoſtes, victoria certa; & triumphus magnificus obtentus.

Num. 13.

Orige 11. D Auguſt. Theodor. Oleaſter. Serarius.

Vmbra nominis Ieſus, victoria, & triumphus.

64.

A nomine divino magna fortitudo, ac virtus dimanat, adverſùs incurrentia mala. Dixerat Petrus Matth 16 n. 16 *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Et ſtatim audit ab ore Domini: *Tu es Petrus; & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adverſùs eam.* Unde Petro petræ ſtabilitas, ac fortitudo data eſt, quæ adverſùs inferni poteſtates prævaleret? Ipſe primus fuit, qui nomen Chriſti, Filii Dei vivi in mundo inclamavit; & cum ab ore ejus tantum nomen prodierit, ſic ipſo nomine firmatur, ac roboratur, ut omnem contrariam vim irrideat, à nuncupatione novi nominis Chriſti Filii Dei vivi, illud petræ robur natum eſt in Petro, ut Eccleſiam fortiſſimè firmaret, & omni tartareæ poteſtati prævaleret. D Hilar. Cantic. 16. *Dignus Petrus judicatus*, ait, *qui quod in Chriſto Dei eſſet, primus cognoſceret. O in nuncupatione novi nominis fœlix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolveret?* Perpende illud: *In nuncupatione novi nominis.*

Matth 19.

A nomine divino robur contra omnes poteſtates.

D. Hilar.

Apoc.2.n.4. Sed habeo adverſùm te, quòd charitatem tuam primam reliquiſti.

VERSIONES.

Multi Cod. Habeo adverſùm te pauca

Arabicus. Verùm ſuccenſeo tibi, quod dimiſiſti abs te, & deſeruiſti charitatem primam.

Syrus. Sed eu mihi contra te, propter illud primum, quod reliquiſti.

S.Victor

S.Victor. Amorem tuum priſtinum deſeruiſti.

Arias. Quod charitatem illam primam reliquiſti.

EXPOSITIO III.

65.

SED *habeo adverſùm te.* Superiùs tot ejus laudes præmiſit ut nunc ſuaviùs, ac faciliùs accipiat reprehenſionem, ut notant Richardus de S. Victore, Dionyſius Carthuſianus, ut jam dixi, & iterum dicam; & cùm ait: *Habeo adverſùm te.* Aliqua culpa denotatur in hoc Epiſcopo, ſicut etiam colligitur ex illo, quod dicitur ſequenti verſ. *Pœnitentiam age.* Pœnitentia de homine ſine culpa non dicitur.

Richard. Dionyſ.

Aliqua culpa ſupponitur

66.

Quod charitatem tuam primam reliquiſti. Ecce defectus notatus in hoc Epiſcopo circa charitatem. Ambroſius, Haymo inclinat Joannes de la Haye, de culpa mortali interpretantur: tenent enim, hunc Epiſcopum perdidiſſe charitatem. Contraria ſententia eſt communis, & verior, quam tenent Pererius, Viegas, Ribeira, & Cornelius, Gagnæus, Tirinus, Eſthius, Menochius, non de culpa mortali ſed veniali exponunt: non enim arguitur Epiſcopus, quod perdiderit charitatem, ſed quod reliquerit primam charitatem, illius nempe fervorem, & vehementiam: nam ſenectute, ac diuturnitate, & aſſiduitate laborum fractus, aliquid de prima illa contentione remiſerat. Deinde quod non de amiſſione charitatis, ſed de diminutione intelligendum ſit, ſuadent verba antecedentia, quæ magnam laudem continent: quod laboret, & patientiam habeat, & non defecerit. Deinde de Timotheo viro ſanctiſſimo non eſt præſumendum, quod charitatem perdiderit.

D. Ambr. Haymo. Perer. Viegas. Ribeira. Corn. Gagnæus. Tirinus. Eſthius. Menoch.

Culpa venialis.

67. *Reſponſio ad objecta.*

Nec fundamentum contrariorum obſtat; *Age Pœnitentiam, quin movebo Candelabrum tuum de loco ſuo.* Quod videtur denotare culpam mortalem; ſed hoc nihil probat: *movebo Candelabrum tuum de loco ſuo*: Auferam Eccleſiam tuam à te, ut ſuo loco explicabo, & ad plurimum ex illis probatur, quod peccatum veniale, & frequens inducit ad mortale.

QUÆSTIO VIII.

Quænam fuerit hæc remiſſio charitatis in hoc Epiſcopo Epheſino?

68. *Germana ratio.*

COnveniunt omnes Doctores, quos proximè in Expoſitione citavi procul à veniali hujus Epiſcopi, quod ipſe non arguitur de charitate deperdita, ſed de remiſſione, tepore, ac frigiditate illius: quia nempe aliquem gradum de ejus intenſione deperdidit. Nam hic Præſul erat S. Timotheus, qui per 40. annos fuerat creatus Epiſcopus Epheſi; nam ipſe electus eſt Epiſcopus anno Chriſti 57. & modò agebatur annus Chriſti 97. ut dixi hoc cap. quæſt. 2. proindeque multa ſua ætate, ac diuturnitate temporis, aſſiduitate laborum, ac pertinaci multorum machinatione adverſùs eum fractus eſt: & deinde remiſſus à ſuo illo primo fervore, ac ardore charitatis, in bonis operibus exhibendis, eam in prædicatione Evangelii, converſione gentium, ac vehementi obſiſtentia cultoribus Dianæ Epheſinæ, quàm etiam in adjuvamine oppreſſorum, ac pauperum. In hac ſententia eſt Richardus, qui ait: *In gratia minus ſecurè vixerat, & quædam negligenter egerat: & ideo de culmine ſuæ perfectionis ceciderat.* Et inde meritò hic rigidè arguitur, quamvis defectus eſſet venialis, quia in viris perfectis deficere ab eo quod erant, valde vituperabile eſt, ut ait D. Anſelmus lib. 2: Epiſtola 37. *Nullus gradum bonæ vitæ, quem jam conſcendit, cuſtodire ſufficit, qui ſemper ad altiorem proficere non appetit: ſemper igitur neceſſe eſt, ut nitatur ad profectum, qui ſemper vult vitare defectum.*

Richard.

Qui in via ſalutis non progreditur, periclitatur D. Anſelm.

69. Rich. Vict.

Secundò. Richardus Victorin. *Reliquiſti*, ait, *primam charitatem, quam habuiſti prædicando, videns, quod non profueris.* Meritò reprehenditur hîc Præſul Epheſinus, quia à verbo Dei annuntiando ceſſaverat, & quamvis impii audire nollent, ipſe inſiſtere tenebatur, & ideo Concil. Trident. ſed cap. 2. ſtatuit, omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri, per ſe ipſos, ſi legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Jeſu Chriſti Evangelium.

Prælatus inſiſtat in prædicando verbum Dei. Conc. Trid.

70. Andr. Cæſ.

Tertiò. Andreas Cæſarienſ. *Reprehenditur hic Epiſcopus*, ait, *quod primam dilectionem, ſolitamque erga egenos beneficentiam, remiſſius, quàm par erat, exerceret: id vitio vertit.* Idem habet Aretas: exiſtimant hi Auctores, in eo ſugillari hunc Epiſcopum, quia eleemoſynas minuiſſet: & parùm jam cum pauperibus, & indigentibus de ſuis facultatibus inſumeret. Et meritò ſanè inde objurgatur, quia ut ait D. Greg. Nazianz. orat. 116. quæ eſt de pauperum amore: *Si ex Pauli*, inquit, *atque etiam ipſius Chriſti ſententia, & auctoritate, charitas legis, & præceptorum caput eſt, hujus præcipuam partem in eo ſitam eſſe comperio, ut pauperes amore, & benevolentia complectamur; atque eorum qui nobis cognatione conjuncti ſunt, calamitatibus doleamus, & moveamur.* Et maxime hanc pietatem in pauperes exaltans, ait: *Cura, ut proximo tuo idcirco præſtantior ſis, quàm benignior, fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando: nihil enim tam divinum homo habet, quàm de aliis bene miſereri.*

Aretas.

Prælatus ſubveniat pauperibus. D Nazianz.

71. Alb. Magn.

Quartò. Albertus Magn. *Primam reliquiſti*, ait, *ideſt, tui ſubditi, quam priùs habuerunt, charitatem reliquerunt per tuam negligentiam: unde propter peccata ſubditorum punitur frequenter Prælatus. Eli Sacerdos bonus: & tandem damnatus, quia filios corrigere noluit.* Primaſius, Beda, D. Bernard. & alii tenent quod iſte Epiſcopus Epheſinus non reliquit charitatem in ſua ipſius perſona, ſed in ſubditis: & hoc non omnes, ſed aliqui, ſed ſi hi deliquerunt, reprehendantur; cur ergo Epiſcopus? Quia peccata ſubditorum in Antiſtitem refunduntur de illis enim ipſe redditurus eſt rationem: & ideo tenetur eos dirigere, ac vivificare in bonum. Cardinal Hugo: *Charitatem dico tuam reliquiſti: quaſi diceret, quia tui ſubditi non ſunt ita ferventes, & charitativi, ſicut priùs fuerunt: nec ſine cauſa peccata, vel negligentiæ populi imputantur*

Primaſ. Beda De Bern.

Delicta ſubditorum in Prælatum refunduntur. Hugo.